

05

A

1134



48



Συν Θεω.
EX CHRONOLOGICIS
De

Mensibus,

Disputabunt
PRÆSES


M. JOACHIMUS *BURGE*,
Brandenburgensis,

&

RESPONDENS

JOHANNES CASPAR *BURHEMUS*,
Creilshemio - Francus,

*VI. Id. Decembris, In Auditorio Minori,
Horis matutinis.*



WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wendt.
Annæ M DC LX.



Præloquium.



Um inter disciplinas Mathematicas, non ultima sit, si utilitate res æstimanda, ipsa Chronologia, facile nos capi, duciq; permisimus, ut ex ipsius ambitu patentissimo, quandam nobilissimã nempe illam mensium eligeremus materiã, quam publicæ percontationi atq; examini, CUM BONO DEO, exponeremus, Cujus tanta rei molem excipere, vix ac ne vix quidem auderemus, si nostra sententia, ac non acutissimi hominum judicij mens repetenda atq; exponenda esset, quos nimirum eandem hanc materiã pertractantes vel legimus, vel antehãc audivimus. Ita non equè ingenio, atq; memoriã ac recordatione opus est, ut quæ à præstantissimis viris, excogitata subtiliter, & dicta graviter accepimus, cum singuli diversas vel easdem, sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisq; & animi & ingenij redderet, iisdem nunc rationibus persequamur, servato ordine disputationis. Quod ipsum ut successu fiat felicissimo, ò JOVA JIVA! Sit itaq; hïc

THESIS.

I. Ut operosè hïc in ipsius nominis derivationem seu Etymologiam inquiramus, vix videtur operæ pretium, lubet interim duas hïc opiniones imprimis adducere. Primam quidem ipsius Ciceronis, qui l. 2. de Nat. Deor. mensem quasi mensum dierum numerum dici putat; Alteram verò Macrob. qui mensis vocabulum à Græco μήνη quod Lunam significat, deducit, quod nimirum ad Lunæ cursum plurimæ gentes suos menses formare solitæ fuerint. Cum hoc Macrob. ferè convenire videntur, qui idem à μήνη, quod mensem notat, derivant. Nobis, quam sententiam sequaris, perindè est. A Græcis tamen cum acceperint Latini Astronomiam, & quæ ab hïc dependet, temporis in menses distinctionem, posterior sententia, veritati magis litare videtur.

II. Cæterum non id agimus in præsentì, ut omnes omnium populorum, diversissimas sanè, consuetudines, in ordinandis, disponendisq; mensibus observatas colligamus, adeoq; mensium Judaicorum, Ægyptiacorum, Chaldaicorum, Persicorum, Macedonicorum &c. rationem multis exponamus, cum id nos præstare posse, haud facilè cuiquam polliceri queamus, imò parvus hïc pagellarum numerus ea omnia non caperet. Animus tantum est, generaliores quasdam mensium divisiones adducere, (unde reliqua dijudicari possunt) non neglectis

neglectis interim, quarundam gentium institutis, cum absq; ullâ illorum mentione, rem omnem persequi vix possimus.

III. Et ne circa præliminaria prolixi simus, cum iis inhærere, supervacaneum omninò nobis videatur, ad ipsam rem rectâ nos conferemus, finimus itaq; mensum cum *Excell. Dn. Lic. Strancho*, ex ipsius *Brev. Chron. l. 1. c. 5. pr. 1. Certum temporis spatium, quo annum communiter in XII. interdum etiam XIII. partes dividere solemus.*

IV. *Conceptum mensis* hîc habemus duplicem, *Contrahibilem* nempe & *Contrahentem*. *Contrahibilem* rectè exprimimus, dum dicimus, eum esse *certum temporis spatium*, hoc enim est & latius definito, & simul de ipsius essentiâ. *Primum* patet, eodem enim jure ipsos dies, ipsas vé vigiliâs, annos &c. certa temporis spatia aliquis dixerit, quo menses; Dies verò & vigiliâs quis menses appellaverit? Sed nec annus, retentâ usitatissimâ illâ vocis anni significatione, mensis nomine venire poterit. *Posterius* etiam in aprico est, neq; etiam mensis sibi propriam in Chronologiâ sedem vindicare posset, nisi de tempore participaret, ad tempus enim quatenus illud quantum, Chronologicisq; characteribus insignitum omnia in Chronologiâ debent revocari. *Spatium autem temporis* hîc nec præcisè minus, quale quidem *Scrupula*, imò etiam ipsæ queunt horæ vocari: neq; etiâ majus præcisè, quale annus, ævum, &c. Sed medium quasi, quod tamen, ad annum habito respectu, propius ad majora, quàm ad minora accedat, illisq; rectius, quàm his annumerari possit, intellectum volumus.

V. *Conceptum contrahentem* exhibent sequentia verba, quandò nimirum dicimus, ejusmodi temporis spatium, nos *annum communiter in XII. interdum etiam XIII. partes dividere*. Peculiare hoc mensi, nec ulli aliàs commune esse putamus. Licet enim hora, licet etiam vigilia, dies, annus, &c. temporis spatia rectè dicantur, non tamen affirmari poterit, quod in XII. vel XIII. partes iis ipsis annus dividatur: Quandoquidè *Hora* communiter vigesima quarta diei pars dicatur; *Vigiliæ* autem etiam certæ diei partes sint, quæ cum apud diversos populos diversæ extiterint, brevitatis studiosi, nihil certi, hâc de re, hâc vice profereamus. *Dies* porrò non duodecima, sed præter propter 365. anni pars audit ut plurimum. *Annum* autem, partem anni XII. nullus tam absurdus erit, ut appellet. Idem esto judicium de maioribus temporis spatiis, ævo, lustro, seculo, &c.

VI. Partes verò hoc loco non intelligimus æquales semper, cum summa earum inæqualitas passim reperiatur, ut paulò post constabit pleniùs. Quod verò impræsentiarum tantùm XII. ac XIII. talium partium faciamus mentionem, non immeritò alicui mirum videri potest, dum etiam aut in plures, aut in pauciores partes per menses annus antiquitùs divisus legitur.

VII. Verùm quod hoc ipsum attinet, in antecessum monemus, nos definitionem nostram pro universali & accuratâ minimè venditare, talem enim quis sibi polliceri posset de mense, generalitatem nominis perpendens? à potiori itaq; atq; usitatiore, tantùm apud eos populos, quibus motùs astrorum leges ignotæ non fuerunt, atq; adeò descriptionis nomine, eandem insignimus.

VIII. Cæterùm minimè sumus in eâ sententiâ, annum omnes gentes in tot partes dividere solitas esse, illud n. omninò cum recensione historicorum pugnat. Sanè *Polyd. Vergil. l. 2. de rer. Inventorib. c. 4.* hæc habet: *Archades, ut Plutarchus in vitâ Numæ & Macrobius in primo Sat. meminerunt, tribus duntaxat mensibus annum suum explicabant. Chares & Archananes sex. Egypti primis temporibus, teste Solino, quatuor; sed antea, ut Censorino placet, duobus tantùm &c.* Et *Scaliger*, Vir ille incomparabilis, *l. 1. de emend. temp. p. 10.* de *Mexicanis* affirmare audet, eorùm annum mensibus XVIII. absolvi, quos menses dicit esse εἰκοσὸν ἑπτὰς, quod ipsum repetit, *l. 3. p. 225.* his verbis: *Annus Mexicanorum, & totius illius magnæ Perusianæ continentis 365. diebus constat, & in duodeviginti menses tribuitur. Mensis v. cenis diebus explicatur. Ita fiunt 360. dies. In fine adjiciuntur εἰκοσὸν ἑπτὰς, vitulationibus & publicæ lætitiæ dicatae, &c.*

IX. De mensibus quoq; *Romuleis*, seu in anno veterum Romanorum usitatis, non facilè concesserimus, iis annum in XII partes divisum fuisse. Licet enim magnus ille *Scaliger l. c. l. 2. p. 172.* hoc affirmet, ac probare etiam nitatur, *M.* tamen *Varro*, *Livius*, & alii, annum ante ordinationem Pompilianam decimestrem fuisse, prodiderunt, quin & ipse *Ovid. l. 1. Fast.* canit:

Tempora digereret, cum Conditor Urbis in anno | *Scilicet arma magis, quã sidera Romule nôras,*
Constituit menses quinq; bis esse suo. | *Curaq; finitimos Vincere major erat. &c.*

Et paulò post etiam nomina quorundam mensium addit:

Martis erat primus mensis Venerisq; secundus, | *Tertius à senibus juvenū de nomine quartus,*
Hæc generis princeps, ipsius ille pater, | *Quæ sequitur, numero turba notata suo.*

Et *l. 3. Fast.* hæc habet:

Ergo

Ergo animi indociles, & adhuc ratione carētes, | Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus
 Mensibus egerunt lustra minora decem, | Seu quia bis quino foemina mense perit,
 Annus erat, decimū eum luna receperat orbē, | Seu quod ad usq; decē, numero crescēte venit,
 Hic numerus magno tunc in honore fuit. | Principium spatii sumitur inde nobis. &c.

X. Mirabilis certē fuisse videtur, hujus anni *Romulei* forma, quippe quæ nec ad Lunæ, nec ad Solis cursum satis accommodata fuit. Quod verò ad ordinem mensium, ille, ut vel ex ipso *Ovidii* loco appositum patet, talis fuit: *Martius Dier. XXXI. Aprilis XXX. Majus XXXI. Junius XXX. Quintilis XXXI. Sextilis XXX. September XXX. October XXXI. November XXX. December XXX.* Obtinuit autem hūc numerus mensium per 38. annos præter propter, usq; dum *Romulus* imperio pariter & vitâ excideret, eumq; *Numa Pompilius* exciperet, *Corrector Calendarii Romulei*. Addidit ille *Januarium* & *Februarium*, unde iterum, l. 1. *Ovid. Fast.*

At *Numa* nec *Janum*, nec abitas præterit umbras,
 Mensibus antiquis addidit ille duos.

Posteà siue id *Numæ Pompilij* inventum fuerit, quod *Plutarch.* in *Numâ* tradit, dum scribit: Νεμῆς ἐπήγαγε κατ' ἐνιαυτὸν Ἰπὶ τῷ Φεβρουαρίῳ μῆνα τὸν ἐμβόλιμον, ἡμῶν Ῥωμαίων ΜΕΡΚΕΔΙΝΟΝ καλεῖσθαι, εἶκοσι καὶ δύοῖν ἡμερῶν ὄντα. (Quem verò mensem hūc ΜΕΡΚΕΔΙΝΟΝ, hunc in vitâ *Cæsaris* vocat *Μερχηδόσιον*. Dicitur autem ita putatur, à Deâ ΜΕΡΚΕΔΟΝΑ, quæ præerat mercedibus & pensionibus solvendis) siue sequioris ævi, altero quoq; anno mensem quendam intercalârunt *Romani*. Verùm ab Intercalatorum temporibus, fasti *Latinorum* adeò sunt turbati, vitio Pontificum, per intercalandi licentiam, ut neq; mensium feriæ æstati, neq; vindemiarum autumno competere. Intricata illa atq; confusa temporum computatio facilè adduxit *Julium Cæsarem*, ut de novâ anni formâ cogitaret, fastosq; corrigeret. Convocatis itaq; Mathematicis, quorum princeps fuit *Sosygenes*, hanc in se curam suscepit. Rem omnem modò laudatus *Ovid. l. 3. Fast.* eleganter sequentibus complexus est distichis:

Primus oliviferis Romam deductus ab arvis Pompilius, menses sensit abesse duos.	Promissumq; sibi voluit prænoscere cælum: Nec Deus ignotas hospes inire domos.
Si hoc à Samio doctus, qui posse renasci Nos putat; Egeriâ siue monente suâ.	Ille moras solis, quibus in sua regna rediret, Traditur exactis disposuisse notis.
Sed tamen errabunt etiâ nunc tempora; donec Cæsaris, ut multis, hæc quoq; cura fuit.	Is decies senos, tercentum & quinq; diebus Junxit, & è pleno tempora quinta die.
Non hæc ille Deus, tantæq; propaginis autor Credidit officiis esse minora suis.	Hic anni modus est. In lustrum accedere debet, Quæ consummatur partibus, una dies.

Cæsaris etiam acta circa hanc rem sigillatim nobis *C. Suet. Tranq. in vitâ*

ejus c. 40. exponit, dum ait: *Annum (Julius Cæsar) ad cursum Solis accommodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quò autem magis in posterum ex Kalendis Januariis nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem interjecit* (De anno confusionis, quem vocant, loquitur) *duos alios, fuitque is annus, quo hæc constituebantur XV. mensium, cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.*

XI. Licet autem uti ex dictis patet, non ab omnibus populis annus cõmuniter in XII. interdum etiã XIII. menses divisus sit, sed nunc in plures, nunc in pauciores, neminem tamen nos reprehensurum speramus, quod præcisè XII. & XIII partium fecerimus mentionem. Cum enim illi ipsi menses, partim dudum exoleverint, partim verò eorum forma non satis constet nobis, partimque planè non ad luminarium motûs computati videantur, à potiori atque usitatiore denominationem petendam esse duximus. Etenim certum est, ut plurimum talem divisionem obtinuisse, neque ea cum *Pompilio* demum nata est, sed vel antiquissimis temporibus observata fuit. Patet id ex *Ebraeorum* exemplo, ut ut n. de iisdem *Diodor. Siculus* narret, lib. I. *Biblioth.* quod tamdiu annos suos secundum Solis motus egerint, quamdiu inter *Ægyptiacos* degerint, dubium tamen non est, dummodò unquam Solari mense usi sunt *Hebræi*, quin, aliam Chronologicam methodum divinitus edocti eandemque exactissimam, priorem illam rejecerint. Patet etiã ex Sacris Scripturis, eos, ejusmodi annorum dispositionem, quâ menses, mensiumque dies, sacri imprimis, secundum Lunæ motû ordinarentur, amplexos fuisse. Cùm verò annus Lunaris tantum sit 354. dierum, sequitur certè, illos ipsos, ut easdẽ tempestates mensium retinerent, crebrius intercalasse, ac istum XI. dierum defectum, quo scil. annus Lunaris à Solari deficit, integri mensis additione convenienter compensasse. *Conf. Scal. de emend. temp. Lib. 2. p. 105.* Nec Soli *Ebræi*, sed & alii populi ejusmodi ferè fuere usi Calendario, quorum gratæ brevitatis ergò nullam hîc loci facimus mentionem.

XII. Sed hæc omnia majorem in sequentibus nanciscentur lucem, eorum itaque explicatione prolixiori jam supersedemus, & conferimus nos ad distinctas quasi mensium species. Quemadmodum ergò anni duplices, *Civiles* nempe & *Astronomici* cõmuniter dicuntur, ita etiam ipsi menses duplices nobis sunt; & uti *annorum Astronomicorum* quantitas ab ipso astrorum motu determinatur, ita etiam *mensium Astronomicorum* (de *civilibus* enim paulò post agemus,) quantitas ab hoc corporum cœlestium, non omnium quidem, sed Solis & Lunæ tantum, motu dependet, ut proinde *mensis Astronomicus* nihil aliud sit, quam *certum quoddam temporis spatium, à luminariû motu determinatum, quo annum aut in XII. aut in XIII. partes dividere solemus.*

XIII. Cùmque in ordinandis mensibus æquè ad Solẽ, quam ad Lunam hîc respiciamus, non inconvenienter mensem subdividimus in *Lunarem* & *Solarem*, quos inter ille maximè variat, cùm pro diverso computandi modo, diversã etiã quantitate gaudeat. Computatur autem *vel* ad revolutionem Lunæ in proprio orbe, diciturque *Periodicus seu peragrationsis*, *vel* à Synodo in Synodum, & vocatur *Synodicus seu conjunctionis*, *vel* ab apparente Lunã post hanc Synodum, usque ad apparentiam post alteram Synodum, appellaturque *illuminationis seu apparitionis.*

XXIV. *Periodicus* dicitur, quod ipsam Lunæ periodum respiciat, quam tunc absolvisse

soluisse Luna dicitur, quando ad idem punctum, à quo digressa erat, in orbita sua rediit. Ponamus enim Lunam nunc esse in principio Arietis, quando ad hoc punctum reversa erit, suam periodum eam absoluisse dicemus. Nam quamvis Luna latitudine non careat, adeoque jam versus Septentrionem, jam vero versus meridiem moveatur, secus atque Sol, qui perpetuo in regia sua via, in Ecliptica, incedit, à qua nunquam deflectit, illud ipsum tamen non vetat, quo minus hanc orbitam in ipso globo nobis imaginemur, refertur enim hic Lunæ motus, uti quoque reliquorum Planetarum ad ipsam Eclipticam. Ut proinde mensis hic recte finiatur: *Spatium temporis quo Luna integrum orbem suum absolvit, redeundo ad idem punctum, à quo paulo antea digressa erat. Terminus à quo licet à termino ad quem ratione differat, re tamen prorsus idem est. Estque quodvis Eclipticæ punctum.*

XV. Quod ad quantitatem hujus mensis, de eâ definire Chronologi munus non est, præsupponi autem illa debet ex Astronomia, cui hæc nostra disciplina subalternatur, conclusiones enim illius pro principiis adsumit. Cæterum cum motus Lunæ, ad quem quantitatem hujus mensis definiri diximus, Astronomis duplex sit, medius nempe & æqualis; & verus seu inæqualis, qui & apparens dicitur, & quidem propterea, quod nobis est terram ipsum observantibus, reveram inæqualis videatur; etiam menses ad diversum computati motum, diversi erunt, & proinde, qui ad motum medium, *Medij*, qui vero ad verum numerabuntur, *Veri* dicentur. Investigantur autem Astronomi, per calculum accuratissimum, *mensis hunc Lunarem Periodicum medium esse D. 27. H. 7. 43 I. 7 II.* Verus autem Lunæ motus cum sit inæqualis, etiam *mensis Lunæ Periodicus verus inæqualis est*, adeoque nihil certi de ipsius quantitate hic licet determinare, sed Astronomorum consulendi erunt calculi.

XVI. *Synodicum* mensem dici putamus, à luminarium Synodo, id est Novilunio ratio ex definitione patefcet, *est n. Synodicus mensis spatium temporis interceptum inter duas proximas luminarium Conjunctiones.* Ex quo apparet etiã, quod in determinandâ ipsius quantitate, non ad solam Lunam, quod in priori obtinebat, sed & ad ipsum Solem respici debeat, illud enim *terminus à quo & ad quem*, qui sunt Solis & Lunæ conjunctiones evincunt. Hinc sequitur, *Synodicum mensem majorem semper esse Periodico*, non enim absolutâ suâ periodo, Luna Solem in eo offendit puncto, in quo eum reliquerat, quippe qui integro ferè signo, eo temporis spatio, quo Luna suam peragravit periodum, versus ortum progressus est, ideoque ut ipsum denuo adsequatur, certum temporis spatium, ad complendum mensem Synodicum, præter cursum Periodicum, requiritur, uti hæc res exemplo manifestissima evadit: *Conjunctantur n. Luna cum Sole in principio Arietis absolutis D. 27. H. 7. 43 I. 7 II.* motu nempe medio, ad hoc punctum Luna rediit. Solem vero non offendet, quippe qui eo tēporis spatio ferè ad Taurum proreptavit. Ut itaque Soli Luna conjungi possit, requiritur, ut illud quoque spatium cæli absolvat, quod Sol mensis periodici decursu post se reliquit.

XVII. *Quantitas Synodici mensis medij*, cujus factâ mentione nos contentos esse oportet, cum Chronologi verum seu apparentem propter ejus inæqualitatem, non facile attendant, ex mente diversorum, diversa etiã constituitur. *Catalogum quasi diversarum opinionum vid. in Ampliſſ. Dn. Lts. Strauch. Præceptoris nostri multis nominibus debenerandi, Brev. Chron. p. 67.* ubi licet in adductis sententiis ac hypothesibus varietas quædam deprehendatur, omnes tamen eatenus conveniunt, ut de scrupulis, & plu-

& plurimæ quidem, de secundis tantum dissentiant. Ultra autem genuina sit, Astro-
nomi certant, & adhuc sub iudice lis est, qui tamen Tychoniam hypothesin, quam
vocant, assumunt, Tychonem quoque ut plurimum hinc sequuntur, uti etiam nos hinc
vice ipsius sententiam eligimus. Est itaque secundum illum, mensis hic 29. D. 12.
H. 44 I. 3 II. 9 III.

XVIII. Mensis illuminationis demum considerandus venit, finitur autem ille à
quibusdam, spatium temporis à primo conspectu Lunæ nascentis, usque ad termi-
num evanescentis numeratum, ita *Alsted. in Comp. Phil. Timpl. in Appsych. &c. Excell.*
a. Dn. Strauch. l. c. licet hanc sententiã, quã nomen, satis bonã esse concedat, attamen
ejusmodi mensẽ apud nullos populos unquã in usu fuisse dicit, itaque hanc affert
definitionem, ad aliquot populorum instituta quadrantem; quod nempe sit *spatium*
dierum & horarum &c. inter tempora primũ apparentis Lunæ, post duas Synodos proxi-
mas interceptum. Qualis ferè mensis usum habuisse in computo Judaico tempore
templi secundi, quibusdam creditur. Qualis etiam secundum *Scalig. de emend.*
temp. l. 1. p. 9. adhuc hodiè apud Hagarenos in usu est.

XIX. *Quantitas* hujus mensis, ut ex dictis apparet, ad phases Lunæ numeranda
est, cumque luna non semper eodẽ die renascatur, sed interdum citius interdum tardius,
cujus rei causas Astronomi varias dant, quæ apud ipsos videri possunt, haud licet
eam certò definire, quippe quæ maximè variat, ac maximè inæqualis est.

XX. Hæc de mensibus lunaribus annotare breviter placuit, restat, ut & *Solarium*
& *Civilium* mentionem faciamus. Et *Solaris* quidem ab ipso Sole sic dicitur, quippe à
cujus motu determinatur, & describitur, quod sit *temporis spatium, quo Sol integrum*
signum Zodiaci motu proprio absolvit. Itaque cum Sol inæqualiter nobis moveri videa-
tur, & medietatẽ australem multò citius, quàm Septentrionalẽ absolvere, non possu-
mus certi quicquam hoc loco definire, sed consulendi erunt motuũ solarium tabulæ.
Quod si omninò media quædam quantitas determinanda foret, semissis anni Astro-
nomici *παχυλῶς* sic dicta, quæ verè & æstatem comprehendit & 186. D. 18. H. &
30 I. ferè absolvitur, in sex æquales partes dividi deberet, itemque altera semissis,
autumnale & hybernum exhibens tempus, quæ 178. D. 11. H. 20 I. absolvitur.

XXI. *Mensis Civilis* dicitur Systema dierum, quod in usu civili obtinet, quod pro
varietate populorum diversimodè ordinatum est. Sic legimus in annis *Ægyptiaco-*
rum & Græcorum omnes menses ordinariè fuisse *τριακονθημέρης* æqualiter. Le-
gimus etiam, apud illos, qui tempora sua ad Lunæ cursum ordinârunt, menses fuisse
alternis *plenos & cævos*. Cum enim in civili usu minorum ratio haberi nequit, ne-
glecta hoc mense, convenienter altero sunt compensanda. Cæterum licet hic men-
sis non sit alligatus ad luminarium motus, ad eosdem tamen veteres respexere ut-
plurimum. Ut plurimum inquam, non enim semper hoc factum est. *Tusculanorum*
(verba sunt Scalig.) *Quintilis habuit triginta sex. October triginta duos. Aricinorum*
October triginta novem &c. Sed prolixius in hæc inquirere, multa sũt, quæ prohibent,
pagellarum etiam angustia, monet, ut hinc pedem figamus.

XXII. Coronidès ergò loco tribus tantum verbis *Embolimorum* mensiũ faciemus
mentionẽ. Scilicet sunt ii vel *naturales*, vel *civiles*, ambo autẽ ad æquationẽ Solis di-
recti, *illi* quidem ex Solis excessu collecti, ad spatia Lunæ complenda adhibentur;
Hi verò ex diebus Solis superfluis collecti fulciendo anno cavo adjiciuntur.

Sed hæc pluribus exsequi, nunc non licet, Sit itaque

SOLI DEO GLORIA!

05 A M34


ULB Halle 3
003 766 527



V317







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LOGICIS

bus,

nt
s

IS BZGGE/

ensis,


NS

BUNZHEINER/

Francus,

Auditorio Minori,

tinis.



RGÆ,

IS Wendt,

C LX.

